

maxime Theologiam, & fidem attingit. Et res tanta paucis absolvenda non erat. Sed iam argumenta ea tandem diluamus, quæ capite primo adversum traditiones opposuimus.

CAPVT POSTREMVM.

In quo refelluntur argumenta capitis primi.

Illud vero argumentum, quod est a principio positum, non est difficile refutare. Ridiculum est enim credere, Apostolicas traditiones non eadem fide, ac diligentia posse in fidelium cordibus asservari, ac si in papyro scriberentur. Nam nec scriptura Spiritus Dei vivi facilius quam atramenti deletur, & sunt plæreque traditiones, quas more & usu facillime videas retineri. Quod si Christus providentia ecclesiæ Christianæ deest, tum vero nec traditiones asservatas ego defendo, nec certam scripturæ auctoritatem. Vtraque enim iuxta res sine Dei procuratione non constat. Quam si tollas, neque traditio, nec scriptura vindicatur. Sed si Christo curæ ecclesia sua est, iam non erit ambiguum, quin quemadmodum evangelium illa in sensu potius quam in litera custodit, ita & cæteras custodiat traditiones, ei quas apostoli tantopere commendarunt. O *Timothee*, inquit Paulus (1) *depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates* (2), & *oppositiones falsi nominis scientia*. Quem locum miror a Caietano de gregis commisi deposito, non de commissa doctrina esse intellectum, præsertim cum alterum simillimum in posteriore ad Thimotheum epistola non de grege, sed de doctri-

(1) 2. ad *Timoth.* 6. (2) *καυρονομίας*. noster legit *interpres*, quemadmodum & *Ambros.* & *Chrysost.* legisse videntur. Certe Latina ecclesia *novitates* legit, non *inanitates*. Sic etiam *Basilii* ubique legit, ut auctor est *Theoph.* 2. *Timoth.* 2. in illud *prophana* autem & *vaniloquia devita*, & in hunc ipsum locum. 1. *Timoth.* 6.

trina interpretetur. Debuerat autem Caietanus admoneri Paulum de verbo Dei fuisse locutum ex iis, quæ e vestigio subdidit, *devitans prophanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientia*. Vtraque enim harum traditioni Apostolicæ adversa est, & vocum prophana novitas, & falsi nominis scientia. Traditio quippe vetustate commendatur: & si quid audieris in ecclesia novi, tum vero id scias esse, ut antiquitati, ita quoque Apostolicæ fidei contrarium. Cum autem legis, voces esse vitandas, non tibi vocum sonus veniat in mentem, sed vocum significatus. Dogmata enim, sententiasque novitias vitare iubet apostolus, non verborum sonitus inanes, aut novos. Tamen novitia quoque verba, quoad licebit, vitare in fidei, morumque disciplina debemus. Scientiam vero falsi nominis, vel Sophisticen, vel artem Cabalisticam intellige. Nam traditionibus Apostolicis occultæ illæ Cabalistarum traditiones non aliter opponuntur, ac fabulosa veris, sacris supersticiosa. Quanquam adversus Gnosticos apostolus differens, ut vere Theophylactus affirmat, falsam illorum scientiam traducit, quam tamen illi rudi plebi magno pretio vendebant. Quod si nihil est tam contra tradita ab apostolis antiqua dogmata, quam opiniones in ecclesia, tum novæ, tum prophanæ, vetera enim eademque sacra mysteria fides Apostolica probat, aspernaturque contraria, nihilque tam est secundum apostolos, quam non recedere ab his, quæ olim accepimus, nimirum de verbi, non de gregis deposito apostolus loquitur. Itemque, si falsi nominis scientia, vel Sophistice intelligitur, ut quibusdam placet, vel Cabalistica, ut etiam Caietano est visum, vel illa Gnosticorum, ut Theophilacto, mihi que etiam probatum est, necesse est, cum veræ falsæ scientia adversetur, contrarium eundem esse sermonem. Quæ, quanquam ita sunt in promptu, ut res confirmatione non egeat, sunt tamen nobis Vincentii Lirinensis, viri gravissimi, auctoritate confirmanda. *Depositum*, inquit, id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem non ingenii, sed doctrina: non privata usurpationis, sed traditionis publica: rem ad te perductam, non a te prolata, in qua non auctor esse debes, sed custos: non institutor, sed sectator: non

ducens, sed sequens. Aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia subiicias. Custodi, propter inimicos, propter fures. Custodi etiam diligenter, sedulo, fideliter, ut suo tempore cum oportuerit, quibusque oportuerit, reddas. Devitans prophanas vocum novitates, id est, sententiarum, dogmatum, rerum, quae sunt vetustati contraria. Nulla quippe haeresis nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore, emerfit. Nec quisquam haeresim instituit, nisi qui se prius ab ecclesia catholica, & antiquitatis consensione discreverit. Hos ergo apud omnes haereses legitimum fuit, atque solemne, ut prophanis novitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant. Contra vero catholicorum hoc proprium, deposita sanctorum patrum, commissa servare, damnareque prophanas novitates. Ita enim in concilio Ephesino omnium patrum una fuit vox, ut quod erat antiquitus traditum teneretur: quod adinventum nuper, exploderetur. Haecenus Vincentius. Huius vero Apostolici testimonii tanta vis adversum Haereticos fuit, ut Clemens Alexandr. 2. Strom. libr. scribat Haereticos, quoniam eo testimonio evincebantur, epistolas Pauli ad Timotheum explosisse. Ut eo igitur, unde digressa est, se referat oratio: non fuerunt maiores nostri in re tam necessaria negligentes, sed quod apostolus Timotheo, & in illo magna cura commisit omnibus: id magna etiam illi cura servarunt. Itaque in primo illo argumento Lutherani haud secus ratiocinantur, ac si non divinitus res ecclesiastica gererentur. Quod si ita pergunt; pari ratione suadebunt, ne canonicos libros quidem eosdem mansuros semper, sed, si placet, etiam perituros. Nam quot libri tineas pascunt blattasque diserti? Quot auctorum monumenta hominum incuria interciderunt? Nimirum enim Pythagoras quoque ipse, ut Lysias Pythagoricus ad Hipparchum scribit, commentariolos quosdam Damiae filiae testamento reliquit: qui tamen, ac multo etiam magis quam traditiones, interiire. Quae cum ita sint, verendum non est, ne apostolorum instituta, quae digito Dei non in tabulis lapideis, sed in ecclesiae visceribus scripta sunt, humana oblivione deleantur. Ac de primo quidem argumento fatis multa diximus, vereor etiam ne nimis multa.

Ad 2. At secundo ita respondeo. Non vult Augustinus, dicta, factaque Iesu ab evangelistis scripta, ad salutem fidelium, & do-

doctrinam esse satis. Alioqui epistolae apostolicae, apostolorum acta, liber Apocalypsis, totum etiam legis veteris instrumentum supervacanea esse, non necessaria viderentur. Sed hoc vult, non fuisse opus ad fidelium salutem, ut ex dictis factisque Iesu alia scriberentur, quam quae scripta sunt. Haec enim scribere satis fuisse, reliqua ab evangelistis sine culpa praetermissa. Nam quod rursus nobis Augustinus obiicitur, facilis est & prompta defensio. Quae enim usu, & more ecclesiae tenemus, ea non modo non sunt obscura, sed adeo sunt aperta, ut de iis disputare insolentissimae insaniae esse idem Augustinus (3) existimavit. Cum ergo ait, ubi de re obscurissima disputatur, &c. fatis indicat, se de his loqui nullo modo, quae ecclesiae instituto & traditione constant. Alioqui illud nobis adversarii expediant velim, quod Augustinus idem libr. cont. Cresc. primo, cap. 33. diserte tradit in haec verba. *Quamvis huius rei certe de scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam in hac re a nobis teneretur veritas, cum hoc facimus quod universae iam placuit ecclesiae, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas. Ut quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisquis falli meruit, eandem ecclesiam consulat, quam sine ulla ambiguitate sancta scriptura demonstrat.*

Iam vero apostoli testimonium perverse nobis opponitur. Ad 3. Nam hominem Dei ecclesiae doctorem hic Paulus appellat, qui per literas sacras ad omne ministerii sui opus instruitur. Quatuor quippe sunt res, quas verbi sacri administrator praestare debet: nempe docere, arguere, corripere, erudire. Quae utique omnia doctoribus evangelii scriptura divina suppeditat. Quod si quisquam contendit, generaliter hunc locum intelligendum, huic non maximo equidem opere repugnaverim: concedat mihi modo, scripturas non singulatim, & in specie semper de rebus universis praecipere. Si enim specialiter scripta sunt omnia, quid illud est (4), cetera cum

Ee 2

ve-

(3) In epistol. ad Casulan. (4) I. Cor. II.

venero disponam? Quid illud rursus (5) : *plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum: spero enim me futurum apud vos, & ore ad os loqui?* Scriptura itaque divina non de iis solum instruit, quæ scripta sunt: sed de iis etiam, quæ non sunt scripta. Tenete, inquit Paulus (6), *traditiones quas accepistis, sive per epistolas, sive per sermones.* Et in hoc ipso 3. capite posterioris ad Timoth. epistolæ, cuius nos testimonio impetitur, cum dixisset apostolus, *Tu autem affectus es meam doctrinam, & institutionem*, quibus verbis utrumque genus disciplinæ complexus est, & quod scripto, & quod instituto continetur, mox subiungit: *Tu vero permane in his quæ didicisti, & credita sunt tibi.* Didicerat enim sacras literas Timotheus, ut ibidem tradit apostolus, & præterea mysteria Evangelicæ doctrinæ concredita acceperat, ut cap. 2. dictum erat, & cap. 6. prioris ad eundem epistolæ. Non ergo eo loco traditiones excludit apostolus, sed potius commendat.

Ad 4. Sane vero quod argumentum ex Deuter. 17. cap. Lutherus addit, hoc nullius propemodum est momenti. Legem enim nos non in chartis solum papyraceis scriptam accepimus, sed eam magis, quæ in visceribus scripta est. Nec adeo rudēs sumus, ut apud nos lex verbo tenus tradita legis nomen minus habeat, quam eam quæ literis editur. Fatemur ergo sacerdotes non esse audiendos nisi docuerint iuxta legem Domini. Sed qui instituta Apostolica ecclesiæ tradunt, ii vel maxime docent nos iuxta legem Domini. Qui vero contra ecclesiasticas traditiones pugnant, hos cum lege Domini pugnare contendimus. Qua ex re Calvinii calumnia facile obteritur. Accusat enim ecclesiam, quasi traditiones contra sacras literas invexerit. Dicitur ex Deuter. 12. ne requiramus alias in colendo Deo cæremonias præter eas, quæ lege præceptæ sunt, nec his quicquam vel addamus, vel minuamus. Et Salomon (7), *Ne addas, inquit, quicquam verbis Dei, & arguaris, inveniarisque mendax.* At vero quamvis tradi-

(5) Ioann. in 2. epist. (6) 2. Thessal. 2. (7) Prov. 30.

ditiones ecclesiæ quædam essent scripturæ sacræ additamenta, non tamen sunt illæ verbo Dei additæ. Quin potius divina verba sunt, non aliter ac illa, quæ sacris libris scripta sunt. Non enim in præsentis de traditionibus differimus, quæ a posteris ecclesiæ præfectis prodierunt: quas alterius loci, & temporis est defendere. Sed de Christi & apostolorum traditionibus disputatio est: quas hic nos, ut divina oracula, iure, verequæ tuemur. Nec traditiones etiam huiusmodi divinarum scripturarum sunt additamenta: sed complementa sunt potius, & earum quasi commentaria. Alioqui accusentur prophætæ, quod legi Moÿsi quippiam adiecerint. Accusentur apostoli, qui epistolas addiderint evangelii, asinæque & pulli simplicitatem suis apposite vestimentis ornarint. Accusata item, si placet eosdem, qui decretum de idololithis sanguine & suffocato sanxerint, ac canones quoque aliquot ediderint, qui in sacris libris scripti non sunt. At non sunt istæ, ut diximus, scripturæ additiones, sed interpretationes. Quemadmodum adversus Græcos in concil. Florent. sess. 4. 5. 6. & 7. latius explicatum est. Quæ etiam ratione ecclesiasticas, & doctrinam & leges, institutaque salutaria defendimus. Non enim ecclesia his edendis, aut nova fundamenta iacit, aut novas fabricas addit: sed superædificat super fundamentum apostolorum & prophetarum aurum, argentum, & lapides pretiosos: regniq; cælorum semina reddit non alia, sed eadem auctiora, ut Eusebius, 3. libr. ecclesiasticæ historiæ, cap. 37. dixit. Atque nos itidem hanc eandem doctrinam, libr. 7. cap. postremo, si vita superest, locupletabimus. Nunc de 4. argumento dictum est satis.

Ad quintum respondeamus. Chrysostomus porro, sive Ad 5. quis alius est auctor, non ait, *scripturarum veritati*, quod hæretici citare solent, sed nisi ea dixerint, quæ convenientia sunt veritati. Quanquam, qui traditiones Apostolicas docent, ii re vera ea dicunt, quæ congruunt scripturarum etiam veritati. Quod vero de Papiæ traditione nobis opponitur, id ab Eusebio refellitur tertio libro ecclesiasticæ historiæ, cap. ultimo. Vbi ait Papiam, ut qui exigui sensus vir & minus capax esset, spirituales & mysticas apostolorum traditiones

corporaliter & secundum literam suscepisse. Non ergo si unus aut item alter traditionum Apostolicarum prætexerit auctoritatem, fidem nos statim habere debemus. Nam & nonnulli sacras literas præferunt, quos iure ac merito explodimus. Quoniam sacrarum literarum testimoniis abutuntur. Eodem quoque modo Irenæus potuit a Papiæ, & aliis discipulis Ioannis decipi in ætate Domini salvatoris, credidit enim, nec discussit an vera dicentibus crediderit. Sed de hac re differemus postea diligentius (8).

Ad 6. 7.
& 8.

Theophili autem, Hieronymi, Origenisque testimoniis non est cur pluribus respondeamus. Nam adversum eos loquuntur, qui vel humana commenta sacris etiam literis ad-versa, vel historias quasdam apocryphas tanquam res divinas & certas posteris venditabant. Alioqui si Hieronymus (huius enim testimonium urgentius premunt) non existimabat quicquam esse credendum nisi quod sacris literis esset proditum, qua fronte adversus Luciferianos, Vigilantium, Elvidium, traditionum auctoritate argumentatur?

Calvini porro confirmatio quam frivola sit, & plane ridicula, faciam ut nullo negotio intelligant ii, qui mecum eam paululum expendere volent. Equidem eum quoque hortarer, ut huc animum serio adverteret, si quid docendo proficere mæ apud illum posse considerem. Sed quando Lutheranis, omiſſa veritatis ratione, hoc unum propositum est, quacumque possunt via rem suam agere, pauca tantum dicam, quibus sese boni, ac veri Theologi ab eorum captionibus expedire queant. Primum autem Ioachimus Camerarius non, *plene*, sed, *plane*, habuit in hunc modum. *Evangelia enim, &c. plane instruunt nos de sensu numinis.* Deinde, ut quem in modum Calvinus citat, nos quoque legeremus: nihil affertur tamen. Nam cum scripturæ ipsæ, & ecclesiæ magisterium, & traditionum auctoritatem non obscure commendent, profecto de sensu numinis plene nos instruunt. Docent enim sensum numinis sive scripto, seu

ver-

(8) In 11. libr.

verbo traditum iuxta esse tenendum. Quid? Quod concitata, & inerudita concionis esset, statim in proœmio verba dicentis retundere, eius præsertim, qui bona fide loqueretur? An mox cieri turbas æquum esset, & id imprudenter antevertere, quod erat in concilio magna vi, & contentione transigendum? Illud enim Ariani præscriperant, ut capite primo ostensum est, sese in fidei quæstione præter scripturas nihil omnino recepturos. Consueverunt autem synodi patres quæ obiter ab unoquolibet dicuntur, qui non sit fidem facturum concilio, ea prudentissime dissimulare: quo res, de qua potissimum agendum est, suo & loco, & tempore commodius agatur: quemadmodum nobis libro postea quinto explicandum est. Nec Nicæni patres omnia ea quæ Constantinus dixerat, amplexi sunt: sed cum monuisset, ut hostili posita discordia quæstiones explicarentur, & omnes cuperet confiteri Apostolicorum dogmatum unitatem: *His*, inquit Theodoritus, *assensus maxima partis accessit, interque se concordiam & sanitatem dogmatum constituerunt. Pauci tamen, &c.* Ex Constantini igitur testimonio, synodique silentio nihil omnino conficitur. Præterquamquod etsi literis sacris disputatio esset instituenda, sensum earum tamen non ex ipsis literis mortuis, sed ex vivæ vocis traditione oporteret accipere: ita traditionis semper usu & auctoritate indigeremus. De 8. igitur argumento hæcenus.

Traditiones autem apostolorum, de quibus agimus, humana non sunt, sed divina. Itaque qui eas docent, hi non docent doctrinas hominum. Quæ omnino doctrinæ, vel Dei præceptis contrariæ intelliguntur, iuxta illud, quod Dominus Marc. 15. dixit, *Quare vos transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras*, vel otiosæ quædam & vanæ traditiones: qualis erat illa de manibus a prandio abluendis, quæ ad manuum quidem purificationem utilis esse fortasse poterat, ad Dei certe cultum non poterat. Quam ob causam recte per Isaiam Dominus dixerat, *sine causa autem colunt me.* At Cyprianus in ea epistola eos reprehendit, qui morem novum Christi instituto repugnantem inferere conabantur.

De-

Ad 10.

Decimum vero argumentum instantius equidem pressi, ut in hac responsione explicaretur, inter hæreticorum & catholicorum traditiones maximum esse discrimen. Hæretici enim mysteria sua mulierculis, & idiotis homunculis produnt. At catholici mysticas, & sacras ecclesiæ traditiones muliercularum, homuncionumque vulgo prodere, piaculi loco habent. Cuius rei causæ, quoniam capite tertio sunt redditæ, illinc lector assumet, quæ ad hunc locum pertinebunt. Hæretici rursus secretas illas traditiones suas a viris doctis, præsertim iis qui ecclesiis catholicis præfunt, abscondere solent. Catholici contra, iuxta quod apostolus præcipit, Christianæ disciplinæ mysteria, iis solum committunt, qui idonei sunt & alios docere. Quare doctrinæ depositum publicum est, utpote quod reipublicæ magistratibus commendatur. O *Timothee*, inquit (9), O episcopo, qui ecclesiæ, & præfectus, & doctor es, depositum custodi. Et rursus (10), *Qua audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Atque illud animadvertendum est diligentius, quod non clam in angulo, & privatim hoc depositum Timotheo commissum est, sed coram multis testibus, ut res non privatæ usurpationis, non clandestinæ, furtivæque doctrinæ, sed publicæ traditionis, disciplinæ manifestæ, finæque dolo intelligeretur. Quod qui parum perspiciunt, hi non satis expediunt, quemnam sensum locus ille habeat, *Ego in occulto locutus sum nihil.* Doctrina quippe Christi, in qua nihil fucatum, nihil fictum, nihil fraudulentum est, sed omnia sincera, vera, simplicia, nihil habet omnino tectum, penetrale, tenebricosum. Hoc quoniam Hæretici habent, eorum doctrina occulta recte dicitur. Quemadmodum civis quisque tum quicquam reipublicæ occultare dicendus est, quum quæ magistratibus revelanda sunt, ea non illis plane, sed privatis hominibus furtim prodit. Nam, qui quæ populo vulganda sunt, ea populo invulgat, quæ con-

(9) 1. *Timoth.* 6. (10) 2. *ad Timoth.* 2.

contra solis reipublicæ magistratibus expedit aperiri, solis quidem magistratibus, sed aperte tamen manifestat, hic nihil prorsus occulte gerit. Non itaque nos hæreticorum more mysteria oculimus, sed apostolorum instituto ea vulgo celamus, maioribus aperimus: quæ maiores scire decet, vulgus scire non decet. Quid igitur sibi vult, inquiens, *Qua in aure auditis, prædicata super tecta?* Quod enim super tecta prædicatur, id in vulgus effertur. Enimvero quo tempore Dominus hoc discipulis præceptum edidit, nondum eis aperuerat sensum, ut intelligerent scripturas: nondum per dies quadraginta locutus illis fuerat de regno Dei, id est, de reipublicæ Christianæ administratione, nondum spiritum miserat, qui doceret ea, quæ, vivente Christo, portare non poterant: eam partem Evangelicæ disciplinæ tradiderat (11), quæ ad omnes fideles pertineret: eas leges, quas vulgo etiam notas esse expediret. Huiusmodi igitur præceptum dominicum est. Quod audistis in mysterio, apertius prædicare: quod didicistis abscondite, publice loquimini: quod vos erudivi, vel in monte, vel intra domum, in urbibus audacter dicite. Sed temporis, rerumque ratio habenda est. Nam habeo multa vobis dicere, quæ non potestis portare modo. Ea cum vobis edixerò, alia videlicet lex erit. Nolo illa prædicetis super tecta, nolo vulgo anuncietis. Eadem enim vobis celandi causa tunc erit, quæ mihi nunc est: quod vulgus portare non poterit. Scio Clem. Alexandr. 1. Strom. libro de arcanis traditionibus, quæ in aurem editæ sunt, hunc locum intelligere. Quas exponit super tecta prædicandas, id est, excelsæ, & excellenter. Sed mihi id, quod dixi, multo probabilius apparet. Nam & nostrum hunc sensum illud habet, *Ego semper docui in Synagoga, & in templo quo omnes Iudæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil.*

Decimum igitur argumentum confutatum est satis.

At undecimum, quoniam tertio decimo huius operis Ad 11.

Tom. I.

Ff

li-

(11) *Matth.* 5. 6. & 7.

libro est nobis diligenter explicandum, non est animus in presentia refellere. Tantum sunt lectores admonendi id, quod Lucianus Martyr apud Eusebium, nono libro ecclesiasticae historiae, capite sexto, fuse, eruditeque persequitur, nos Christianos non humanae alicuius persuasionis errore constringi, nec indiscussa, ut alios, parentum traditione decipi: sed auctorem nobis institutionis & doctrinae Deum esse, quo magistro iure, ac vere gloriamur. Sed de his plura alias.

Nunc postremum argumentum diluendum est.

Sed & eius argumenti confutatio, ut quae ad tertium decimum quoque librum referenda est, brevissima hoc loco erit. Sane Iulianus Apostata Christianis obiecit irrationalitatem, & rusticitatem, sapientiamque, ubi nihil esset aliud praeterquam credere. Huic vero obiectioni Gregorius Nazianzenus respondet in prima adversus Iulianum Stelitenticam, non alienum esse, a suis Philosophis, quos ille tantopere admiratur, ut hac specie doctrinae utamur. Siquidem primum, & maximum Pythagorae praeceptum erat, ut si quis discipulos suos de dogmatibus interrogasset, aut eorum rationem aliquam exegisset, nihil aliud responderent, quam quod ita visum fuisset Pythagorae. Essetque illa dogmatis ratio inculpabilis. Ita ergo, ac multo etiam magis, exigit ratio, ne fide nos denegemus iis, quae a divinis dicta sunt hominibus (12), habeaturque pro rationis demonstratione fide digna illorum relatio omni vi rationabili, & irrationabili validior. Hactenus Gregorius. Vbi certe non videtur Gregorium horrere, id quod in argumento quasi absurdum refellitur, disciplinam nostram esse similem Pythagoricae, aut hanc potius nostrae esse similem. Sed esto, dissimillima sit, cur magis argumen-

(12) Illud Platonis in Timaeo, fieri non potest, ut Deorum filiis fides non habeatur, etiam si absque necessariis dicant demonstrationibus. Huc etiam refert Clemens Alexandrinus in Stromat. Ac certe e Platone videtur Gregorius hanc sententiam deprompsisse.

mentum illud contra doctrinam verbo traditam, quam adversum eam pugnet, quae literis prodita est? Nimirum enim utramque credimus, & utriusque, si possumus, conabimur reddere rationem. Reddemus autem, si Dominus vitam concesserit, multas, maximas, atque gravissimas, quosum loco polliciti. Nam locus hic concludi iam potest. Ac de secundo quidem argumentorum fonte diximus. De octo autem reliquis latissime patet disputandi ratio: sed nos, quoad poterimus, & licebit, in breves angustias contrahemus.

Tertii libri finis.

